

hujus dicti vero ac sublimi conveniat: quod demonstratur
 Ebr. I. v. 4. s. *Christus tanto præstantior factus Angelis, quanto ex-
 cellentius præ illis sortitus est nomen: Nam sui dixit unquam An-
 gelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et iterum: Ego
 ero ei in Patrem, & ille erit mihi in Filium?* quæ de probatione
 non opus est quidquam addi, cum longè sit firmissima, velut
 ab ipso Spiritu S. suppeditata, quæ nec infringi potest similis
 alicujus dictionis instantia, cum nulla similis exempli instan-
 tia detur, sed, quæ dari videtur, vel suspensa sit à certa hypo-
 thesi, vel agat de gratia selectionis, ad fidem, vel planè à
 scopo sit aliena: cujus experimentum unicuique reservo.

§. VI. Tertium nobis argumentum erit, quod, nisi
 hic noster locus propriè & literaliter de Christo agat, planè
 nullus omninò locus sit superfuturus, ex quò tanta de nascen-
 do ex Davide Messia promissio, velut Davidi revelata, pro-
 bari clarè firmiterque possit. Nullus certè locus, quisque etiam
 allegatur, nostro loco æqualis est, & tamen ipsi Davidi per
 prophetiam id innotuisse, Petrus significat Act. 2, 30. idemque
 testatur Ps. 89. & Ps. 132. quæ loca ad præcedentem quandam
 promissionem respiciunt. Nusquam autem per totam Davi-
 dis historiam sive in libris Samuelis, sive in Priore Chronico-
 rum obvenit similis promissio quæ tamen cur sit omissa cum
 tantæ sit majestatis ac Divinitatis, nulla ne probabilis quidem
 ratio dignè poterit afferri. Quam ob rem ipsa necessitas
 quoque docet, hunc nostrum locum firmiter tenendum esse,
 velut plenum Divinâ illa promissione ipsi Davidi de suo Filio
 Θεωθεωτων ac satisfactore nostro facta.

§. VII. Ipsa præterea Davidis interpretatio, quæ quarti
 nunc argumenti loco stabit, & ex abundantia adjungetur
 sensum nostrum exigit, qui versu 19. sic ait: וְחָקַטְן עוֹר
 זֹאת בְּעֵינַי אֲדֹנָי יְהוִה וְתִדְבְּרוּ גַם אֲנִי בֵּית - עֲבָרָךְ
 לְמַרְחֹק וְזֹאת תּוֹרַת הָאָדָם אֲדֹנָי יְהוִה
*Et parum visum
 est hoc in oculis tuis, Domine Jehovah, adeo ut locutus etiam sis de
 familia*